






**S**treiherr v. Ende-Siljessnitz.

25. 12

Q. D. B. V.  
DISSERTATIONE IN AVGVRALI  
**THESES MISCELLAS**  
EX VNIVERSA  
PHILOSOPHIA,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**FRIDERICO WILHELMO,**  
MARCHIONE BRANDENBURGICO ET ELECTO-  
RATVS HEREDE AC RELIQVA,  
GRATIOSO FACVLTATIS PHILOSOPHICÆ  
CONSENSV  
PRAE S I D E  
**DN. IO. PETR. LUDOVICO,**  
PROF. PVBL. ORDIN.  
DN. PATRONO AC PROMOTORE,  
PRO SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS  
rite impetrandis,  
IN ACADEMIA FRIDERICIANA  
Die XV. Septemb. A.O.R. MDCC. horis anteimerid.  
Publicæ Eruditorum ventilationi proponet  
AUTOR AC RESPONDENS  
**CHRISTIANVS ROEPER, Med.Cult.**  
Halberst. Sax.  
—  
Typis CHRISTOPH, ANDREAE ZEITLERI, Acad. Typ.







## Q. D. B. V.

### THESES QVÆDAM EX VNIVERSA PHILOSOPHIA SELECTÆ.

#### THES. I.

**P**Hilosophia cum sit scientia rerum humanarum divinarumque, prout ductu rectæ rationis hæ cognosci possunt, ad veram hominum felicitatem acquirendam ac conservandam comparata: eam Medico non solum, verum etiam Juris-Consulto atque Theologo summe esse necessariam firmiter statuo. Et inter hos quoque maximam philosophiæ culturam Medicis deberi, tuebor inter differendum.

#### THES. II.

Philosophiæ finis est imaginem divinam lapsu parentum amissam, quantum vires animæ permittunt, instaurare. Inde lucem Tullio affulsiſſe, ut à morbis animæ ad peccatum originarium sapienter colligeret, existimavero.

#### THES. III.

Mechanicam Philosophiam in deliciis habeo, Aristotelicorum & Scholasticorum tricis utique præferendam. Neque hoc in physicis tantum; quoniam alia quoque scientiarum genera exinde lucem mutuare, facile erit ad probandum.

A 2

THES.

\*(4)\*

THES. IV.

Cum consensu saniorum philosophorum, veterum & que ac Recentiorum, finis sit logices veritatis investigatio, veritas autem indaganda aptitudinem & attentionem mentis, animum idolis liberum, ingeniumque bonis ideis assuetum velit; Mathesin, quae mentem hac scientia imbuit, in vestibulo lycei excolendam esse arbitror. Ad rationem scilicet veterum, ubi ad pedes Mathematicorum federunt alphabetarii.

THES. V.

Perperam à vulgo philosophorum voluntas hominum cordi includitur, & intellectus cerebro. Neque mea sententia hac dimovent sacri codicis loca, & quidam Theologi, pietatem in pectore, scientias in capite quaerentes. Quae singula, si occasio sit, in conflictu resolvantur.

THES. VI.

Anima in se & sua natura & essentia una tantum res est, neque ex duabus intellectu & voluntate, sejunctim existentibus, constat. Methaphysica vero non physica ratione distinctæ sunt haec facultates.

THES. VII.

Errare videntur illi, qui ipsas res secundum ideas in mente sua formatas ordinare ac disponere volunt, cum ideæ potius secundum ipsas res externas sint ordinandæ. Ab hoc idolo illi sibi caveant, qui sacrum nostrum aliosque codices legunt, non ut veritatem quaerant, sed suæ tantum opinionis fingant simulachra.

THES. VIII.

Sapientis ac moderati Philosophi regula est; nihil pro vero admittere, cuius rei mihi non sit distinctus & accuratus conceptus. Ast vero, quid si alicui, qui majori forte mentis acumine pollet, datur rei conceptus, qui mihi nega-

\*(5)\*

negatur: hujus sane opinionem illico pro errore habere, superbi est Sophistæ. Ingens differentia inter veritatem respectivam & absolutam. Illam , non hanc absolvit claritudo idearum.

T H E S. IX.

Medium hæc doctrina inter Scepticos tenet ; & periculosos Rationalistas. Absit enim , ut cum illis statuamus, nos nihil scire, quam hoc , quod nihil sciamus : sed nec minus à nobis hoc absit, ut mentem nostram idolum faciamus, quod supra notitiam omnium etiam difficillimarum rerum poni mereatur , ut neque fallere unquam aut falli possit.

T H E S. X.

Voluntatem intellectu priorem esse, non capio ; sive naturæ sive ordinis sive doctrinæ prioritas ea sit. Equidem suam temperamenti & sanguinis vim esse, antequam intelligam, largior, quemadmodum sitiens potum appetit; antequam ei is porrigatur : sed hac ratione voluntatem non terminavero.

T H E S. XI.

Ethica morum medicina est. Mores hominum ex affectibus ; affectus ex sanguine fluunt. Hunc igitur , qui minuere, augere, calidum, fluidumque facere potest meliorum sæpius morum fore magistrum crediderim , ac illum, qui centum recitare regulas moralistarum. Bonum ergo Medicum , aut si mavis Physicum, optimum fieri Ethicum posse , ex artium analogia, crediderim.

T H E S. XII.

Pro affectuum ratione etiam gradus virtutum se habent. In ipsis viris Θεοπνεύσοις hoc reperimus. Cholericum temperamentum in Paulo se prodit, sanguineum in Petro ; Phlegmaticum in Johanne Quæ vasa ita selegerat Spiritus S. ut istum ad puniendum gentes, illum ad per-

\* (6) \*

suadendum, hunc ad tolerandum, pro aptitudine cujusque,  
videatur adhibuisse. Ethoc est, quod Paulus dicit; **Wir  
tragen die Geheimnisse in irrdischen Gefäßen.**

THES. XIII.

Atque hanc demum affectum differentiam, qui in  
piis etiam non distinxerit, ineptus illorum censor ac judex  
erit, qui somnulenta ingenia pro hominibus habebit mun-  
do mortuis; alacres vero mentes illis accensebit, qui mun-  
do vivant. Inde ad vivendum & docendum; rarius vero ad  
judicandum sacræ literæ suos admonent; quid? quod per-  
versum ac frivolum de pietate hujus vel illius hominis ju-  
dicem gravius longe peccare pronuncient, quam adul-  
teros & homicidas.

THES. XIV.

Philautiæ idolum Ethicis magna; Logicis autem ma-  
jora longe damna intulit. Eam vero, si ibi sustuleris  
profsus, omnino erras; hic si funditus evulseris, tum de-  
mum animum habebis ab errore immunem.

THES. XV.

Sholaftici plus scivissent, si quædam voluissent igno-  
rare. Hæc illa docta ignorantia est; qua, quæ ultra ca-  
ptum sunt relinquimus; ut in illis, quæ captus hu-  
mani tempus lucremur.

THES. XVI.

Christianorum cultus, quem Deo tribuunt, rationa-  
lis est: ineptis Ethicorum & Muhamedistarum figmentis  
vel hanc tantum ob causam præferendus. Hinc nigro  
calculo notandus præfractæ mentis homo & tantum  
non civis noster, qui superioribus mensibus nostram  
religionem cum Turcarum insanía commutavit,

THES.



\* (7) \*

THES. XVII.

Alias religiones omnes , consiliis humanis ; solam Christianam auxilio divino creuisse , non difficile ad probandum est. Illæ suos sectatores divitiis invitarunt , ut Muhammedus ; nostra a mundi thesauris ad extremam avocavit pauperiem : illæ molles animos luxu alliciebant ; nostra crucem , patientiam , calamitatis genera alia suis prædictis imposuitque : illæ solertes mentes artibus humanis illigarunt ; nostra per ignaros homines hujus seculi confudit sapientes : illæ armis , igne , quibusve demum tormentis grassarunt , ut pessundarent aliter docentes : nostra fugit semper , nunquam fugavit , non intulit bella , sed tulit , inter tormenta crevit , ut symbolum esset : Sanguis Martyrum semen Ecclesiæ .

THES. XVIII.

Ratio corrupta est ; & ratio non est corrupta : de cautionibus inter differendum.

THES. XIX.

Id scio non esse corruptam , quando in Pneumaticis hoc genere utitur consecutionis. Si Deus substantialiter est omnipræsens ; cuique creaturæ ita adest , ut neutri possit proprius adesse. Quid est enim proprius adesse ? quam per id spatum alteri accedere , per quod adhuc ab eo abfui. Aut ergo substantia Dei abfuit aliquo spatio , aut non. Si illud certe per quod abfuit , per id presens non fuit ; non ergo omnipræsens sed multipræsens fuisset. Si hoc , quod nempe per nullum spatum ulli creaturæ abfuerit , certe etiam per nullum accedere potuit. Adeoque substantia , DEI non fidelibus , quam infidelibus præsentior est ; cum utrique sit præsentissima. Inde neque differentia unionis Dei cum fidelibus & præsentia ejus cum infide-

\* (8) \*

infidelibus in substantia Dei, sed gratia quæri debet. Quæ Philosophia est Calixti, cui hoc casu contra alios Theologos quosque subscribimus Philosophi.

THE S. XX.

Quicquid Deus dixit, illud credimus fide: sed an Deus dixerit, id fide non credimus, sed scimus ratione. In isto foro Theologi versentur; hanc Spartam occupabunt & Philosophi. Quo sensu verum dicterium est, tum demum sine erroribus Ecclesias fore; si aut Theologi philosophentur; aut Theologiam tractent Philosophi.

THE S. XXI.

Philosophia ergo non opus est ad credendum: est vero hac opus ad perspiciendum credita. Illud facit bonum Christianum: hoc prudentem Theologum. Sit aliquis bonus Christianus: qui tamen esse potest in doctus Theologus. Hac doctrina usus est Origenes contra Celsus Philosophum & Medicum: eam ergo disputare liceat Philosopho, qui cultore est Medicinæ; ad callum removendum, quod hac ætate animos obduxit imperitæ juvenitatis.

THE S. XXII.

Potest tamen & Philosophus nimietate peccare, sed nec nimis Theologus. Iste pro acumine spinas excitat; hic pro pietate superstitionem. Felicem! qui inter utrosque scopulos navigat illæsus, ut ad portum deferatur veritatis.

THE S. XXIII.

Idem numero corpus resurgere post corruptionem posse, tantum non docetur in Peripato. Minimum id statuimus, hunc non fidei tantum; sed scientiæ articulum esse. Cui assentiri nemo securius possit, quam Philosophus, nemo facilius, quam Medicus & Chymicus. Adeo illud

\* (9) \*

illud Verulamii hic verum est : Philosophia obiter libata  
a Deo abducit ; penitus hausta reducit ad eundem.

T H E S. XXIV.

Quid autem bonis literis purior Theologia debeat :  
non paruum indicium est ; quod semper cum literarum  
lapsu suam quoque ruinam viderit religio , contra cum  
augmentis Studiorum floruerit vicissim orthodoxia.  
Quidni ergo , barbarie ingruente , falsos metuamus Pro-  
phetas ?

T H E S. XXV.

Ex arte nostra rem illustro. Ubi definit Physicus ; ibi  
incipit Medicus : sic fines , ubi claudit philosophia ; ibi repa-  
gula aperit Theologia .

T H E S. XXVI.

Directorium inter protestantes nullo alio titulo  
Electori Saxoniæ competere , quam quod primarius is sit  
inter Evangelicos princeps , magnus quondum Zieglerus  
docuit : nostro igitur principi hanc prærogativam afferere  
videtur manes JCti Saxonici .

T H E S. XXVII.

Sumpserat sibi ex hac ratione idem Elector hoc seculo  
ius indicendi inter protestantes jubilei. Ex hypothesi igi-  
tur argumentamur ; quando idem nunc , mutato rerum sta-  
tu , principi nostro competere , exercitii causa tuebimur.  
Idem modus concludendi fuerit , similia eidem principi  
tribuere ex jure Primatus in Germania. Plura de hoc inter  
differendum.

T H E S. XXVIII.

In historia Germaniæ non exemplum invenimus ,  
quod in societatem pacificatorii actus imperiales legatos  
Cæsarei unquam admiserint. Certe hæc solennitas , cum  
exteris principibus agendi , capiti tantum relictæ ; quamvis

B

con-

concentum membrorum in eadem re domi quærere, juri suo non adversum crediderint Imperatores. Nunc vero cauſæ & politicae & juridicæ volunt, ut quoties proceribus nostris videatur, his semper liceat ejusmodi negotiis interesse. Quamvis autem jure inde a Westphalica pace gauisi fuerint; ad exercitium tamen juris in Rixicensi pactione certum eos demum venisse.

## THES. XXIX.

In ceremoniis leges, pacta, usus, consuetudo jus faciunt. Singula hæc Electoribus potestatem afferunt numerum primi ordinis legatorum pro arbitrio multiplicandi.

## THES. XXX.

Qui regiam dignitatem Imperatoria majestate parem judicant, & gentium juribus adversantur, & ipsorum Regum decretis. Hujus enim differentiæ prærogativam, cum magna animi temeritate, negare vellet Imperatori nostro Gallicus legatus; hoc ipso quoddam ei firmamentum addidit; Ottomannica Porta hominis Galli vanos ausus ad gloriam maiestatemque imperatoris explodente. Et cur Hispaniarum Galliarumque Reges, historia teste, titulum imperatorum affectarunt atque a summo pontifice toties petierunt, nisi eam dignitatem, sua majorem habuissent. Quid? quod, cum a vasto Imperii Romani corpore se avulserint regna, quæ in contentionem hic veniunt, ut reverenter habeant Imperatorem, tantæ gloriæ justum heredem æquitatem velle existimaverim. Ut deniq; illum tot in omni orbe gentium concentum taceam; qui Imperatori primas semper concesserunt. Est & insigne maximi honoris argumentum, Imperatori nostro in eo habitu, quod in bellis sacris, tot Regum confluente exercitu summam eidem detulerint omnes foederati. Argumenta a clausa corona,  
pomo

pomo cum cruce , capitis Christianitatis , domini orbis aliisque titulis infirmiora habemus ; quam ut iisdem , in re hac maxime momentosa , fidenter inniti queamus .

THEs. XXXI.

Gentium approbatione consensuque factum est , ut jus Reges appellandi non semel nostri exercent Imperatores . Neque legimus in historia , principem , titulo regio per Imperatorem ritu solenni cohonestatum , pro tali inter omnes gentes non habitum fuisse . Poloniæ , Bohemiæ Hungariæque Reges hæc nobis insignia debent , quibus ad quodve decus dignitatemque & usi sunt & excepti in orbe universo . Quod & ipsum sane Imperatorem magno a Regibus gradu distinguit .

THEs. XXXII.

Czar Moschorum non Cæsar's Synonymum , sed Regis est . Hinc in bibliis eorum Czar David , & Kesar Augustus reperitur . Esse tamen rationes , quare Imperii Orientalis dignitas ad ipsos credenda sit devenisse , sermone a Russis accepi . Patet inde & hanc gentem Cæsar's titulum in pretio habere ; neque proprio ausu in hunc involare sibi integrum putasse ; ut potius postulatum hunc honorem juri cuidam hæreditario innitantur .

THEs. XXXIII.

Contradictoriam oppositionum omnium fortissimam esse , docent Philosophi : mihi si non levissima videatur , levior certe hæc , quam oppositio contraria . Exemplum rei sit , facile ad illustrandum . Contradictrio sibi opponuntur ens & nihil ; contrarie vero ens & aliud ens . Sint nunc duo discipuli artis forte Equestris ; unus perverse informatus ; alter prorsus non . Esto judicium artificis , quem facilius evasurum credat equitem ad artium leges ? Certe discet prior eo tempore , quo alter dediscit ; assuefiet

\* (12) \*

ille, dum hic desuetus; summatim induet ille virtutem, dum hic deponit vitia. Et tamen habet se ille ut eques & non eques; hic ut eques & malus eques; id est illius oppositio contradictoria & levior; huius contraria & facilior est, id quod erat demonstrandum.

THES. XXXIV.

Methodus thema vult homogeneous: mihi itaque qui in heterogeneo argumento versor, nullæ ordinis leges præscriptæ; ad quas neque me astrinxii, neque astringere hic debui.

THES. XXXV.

Methodum vel Syntheticam esse vel analyticam forte omnes sentiunt Philosophi. Sed qui in appellatione conveniunt; in significatione prorsus differunt. Scholastici analyticum ordinem dicunt, quem Platonici & Ramistæ putant Syntheticum: & hi contra posteriori tribuunt, quod illi asserunt priori. Tuebimur nos sententiam, breviter nunc delineandam.

THES. XXXVI.

Analysis resolutio est; Synthesis compositio. Solvimus autem complexa; simplicia coniungimus. Est itaque analyticæ methodi, solvere, quod est compositum: Syntheticæ, componere, quod est solutum. Ultrumque non nisi artificis est; uti domum & destruere & construere architecti. Juxta illud; ædificium destruit facilius, qui construxit.

THES. XXXVII.

Hæc summatim dicta rem quadantenus explicant; quam obiecti demum accurate distincta diversitas prorsus illustrabit. Differt ergo Synthetica methodus ab analytica primo Statu, hoc est tempore: deinde qualitate: post quantitate ac amplitudine materiarum.

THES.

\* (13) \*

THE S. XXXVIII.

Hæc triplex differentia triplicem etiam facit utriusque methodi considerationem. Ratione status sive temporis materia est vel scribenda ut componatur : vel ut resolvatur scripta. Hac ratione, qui scribit, ille in methodo synthetica ; qui scripta legit in analytica versari videbitur. Inde analysin Logicam dicimus , sive Synthetice scripta ; sive tradita analytice resolvamus.

THE S. XXXIX.

Aliæ vero prorsus causæ sunt, quando analyticam methodum à Synthetica distinguimus intuitu qualitatis materialium , sive scribendæ hæ sint, sive scriptæ prorsus abstrehendo. Cum enim ratio induxit probaveritque usus, ut alio ordine theoreticæ cohærerent disciplinæ ; alio item practicæ : illum Syntheticam methodum dicere ; hunc analyticam salutare, causas habuerunt sapientes. Quæ neque difficiles ad reperiendum sunt ; si exempla petamus ex utroque genere disciplinarum. Tractat in principio Ethica de hominis summa felicitate ; quod sane compositi aliquid est, ex omnium virtutum, ceu rerum simplicium, quas tamen in fine demum tractat, concursu constans. Quod cum ita sit, quis negauerit ? Ethicam à compositis ad simplicia progredi : quæ via est analyticæ. Physica è contrario, ut etiam theoreticarum aliquod exemplum sistamus , prium corporis naturalis principia docet , à quibus ceu simplicissimis rebus semper ad magis compositas progressus facit, donec in maxime compositis corporibus fines demum terminet. Atque hoc itidem est methodi, quam descripsimus, Syntheticæ. Sed hæc ratio est integrarum disciplinarum.

THE S. XL.

Aliter paulo consideratio analyticæ & syntheticæ

B 3

me-

\*(14)\*

methodi se habet, si quæ particularia themata, ex integris disciplinis decerpta, tradi debeant. Quod sive in theore-tico sive in practico argumento fiat, utrumque utraque etiam methodo, pro arbitrio scribentis, potest expediri. Quemadmodum enim, si quis urbem aliquam nosse voluerit, is via id dupli facere posset; vel urbem statim universam intuendo è vicini forsitan montis fastigio; atque post demum ingrediendo eam per singulas plateas, fora, locaque alia: vel his locis prius sigillatim consideratis, tandem universam urbis molem oculis subjiciendo; ex quibus modis ille analyticus esset; hic syntheticus: ita pari etiam ratione thema aliquod demonstraturo duplex id faciendi ratio est; vel ut à causis ad effectus; à natura prioribus ad posteriora; à generalibus ad specialia; summatim dicam à partibus ad totum progrediatur, quod methodi est syntheticæ; vel contra ab effectu tendat ad causam; à posterioribus ad priora; à specialibus ad generalia, uno verbo, à toto ad partes, quam rationem methodus tenet analyticæ.

THEs. XLI.

Atque uterque hic ordo bene sibi constat, ad quodcunque etiam argumenti genus adhibetur. Quoniam tamen ussit prius ignis; quam aliquis diceret, quod urat, aut scrutaretur alter, quare urat; analyticæ methodus inventio-nis dicitur; contra cum briefer certiorque via sit, axioma-ta causasque præmittere atque has demum per effectus rite demonstrare; uti exempli gratia qui vehementem cuspidarum particularum in igne motum, causam ignis, est edocetus, ille maturum de centum hujus elementi effectibus inde judicium feret; hinc doctrinæ methodus salutata est Syn-thetica. Quamvis certum sit, quod utraque ad docendum bene adhiberi queat,

THEs.

\*(15)\*  
THE S. LXII.

Patetigitur ex dictis, quod practicæ quidem disciplinæ nonnisi methodo analytica bene tradantur : sed themata practica sigillatim commode doceantur synthetice. Sic totius Physices Systema nemo aliter exhibuerit, quam ordine Synthetico ; ast vero, qui experimento autores in admirationem sub initium rapuerit, ut eorum causas disserturum attente audiant, is physica themata bene docet analytice. Quid quod artem nostram Medicam in scholis synthetice docemus, ut in nosocomiis curemus analytice. Hæc ad methodi rationes intelligendas dicta sufficient; argumen-ta Platonicorum & Ramistarum, inverso ordine docentium, solvam, si opus fuerit, in conflictu.

**N**on sibi sola placet virtus, nec sol sibi lucet,  
Ultraque se Spargunt, lumina lumen alit.  
Nec Sophiam delectat eremus, sed magis hæcce  
Ter geminos comites comis adornat, amat.  
Dumque Machaonii præprimis auget honorem  
Inde magis quam ter comta renidet amans:  
Fontes naturæ Sophiâ Medicina recludit,  
Et curam novit mentis habere simul.  
Pœonis is solum genuinus redditur heres.  
Qui junctis studiis est Sophus ac Medicus.  
Macte bonis esto, mentis, SVAVISSIME ROEPER;  
Nam modo doctrina clarus utraque venis.  
Tu Sophia natus Medicum superaddis amictum,  
Sic major promptum laus quoque jure manet.  
Accipe nunc dignus que dat Tibi præmia Pallas  
Cum Sophiâ Medico, tum Medicâ arte Sopho.

Gratulabundus apposuit  
FRID. HOFFMANNUS P. P.  
Wann

\*(16)\*

Wann recht getreue Freund ihr Glück und Unglück theilen /  
Und daß was einem trifft auch gleich den andern röhrt /  
So darß mein schlechter Kiel sich länger nicht verweilen /  
Auch hier zu thun was mir als einem Freund gebührt.  
Es läge mir zwar ob dein Lob hier zu vermehren /  
Das dir Geschicklichkeit und Fleis zu weg gebracht /  
Doch wird unnöthig seyn weitläufig den zu ehren /  
Den sein gelehrtes Blat ohn dem vollkommen macht.  
Drumb wünsche ich nur Glück zu diesen ersten Ehren /  
Und wenn dein steter Fleis und nicht geringer Geist /  
So fort beysammen stehn / wird man im kurzen hören /  
Dß du in unsrer Kunst auch Doctor mäßig seyst.

Mit diesen Wenigen wolte dem Herrn CANDIDATEN  
als seinem werthesten Freunde glückwünschend  
seine Schuldigkeit ablegen /

Dessen ergebenster Diener und Freund

Wolfgang Friederich Hienlin /  
Phil. ac Med. Candid.



01 A 6541

f



3

IA → OL

kor  
vD 17



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



15  
12  
R. D. B. V.  
IONE IN AVGVRALI  
**MISCELLAS**  
UNIVERSA  
OSOPHIA,  
AGNIFICENTISSIMO  
PRINCIPE AC DOMINO,  
**O WILHELMO,**  
DENBVRGICO ET ELECTO-  
REDE AC RELIQA,  
LTATIS PHILOSOPHICÆ  
ONSENSV  
RAE SIDE  
**TR. LUDOVICO,**  
. PVBL. ORDIN.  
NO AC PROMOTORE,  
PHILOSOPHIA HONORIBVS  
impetrandis,  
**IA FRIDERICIANA**  
A.O.R. MDCC. horis anteinerid.  
rum ventilationi proponet  
AC RESPONDENS  
**S ROEPPER, Med. Cult.**  
Halberst. Sax.  
ANDREAE ZEITLERI, Acad. Typ.